ad inſtructionem etiam ſi guerra nō imminet ſed ſolum eſt guerre
ſuſpicio ſeu timoꝛ pro quo dicto licet bal.nihil alleget facit immo.di
ctum in.c.bone de elec.glo.i.ſuper verbo iuſte et glo.ſuper verbo
et cauſam ſecus foret ſecundū doc.predictos ſi eſſet ad oꝛnatum ci
uitatis Et iſtud etiam videtuꝛ de mente cy.in dicta.l.ad inſtructi
onem hec eſtimo oliueri que in iure ciuili ponuntuꝛ in cedula tua in
terroga ſocium tuum quem aſſeris iuriſtam ſi verum dixi.

Oliuerius.

Dic mihi cato eſt ne ita in cedula vti hugo retulit.

Cato.

Totum qđ eſt in cedula retulit ⁊ q̄plura pro parte noſtra addidit

Oliuerius.

Hugo eſtimaſſem ſemper te partem cleri fauere et ꝓ illa parte iura
ſtuduiſſe. iam vt intelligo etiam ſtuduiſti pro parte ciuitatis et
laycorum quod tamen plures de conſulatu vix credunt qui tibi ſoli
reſiſtenciam a clero factam impingunt et nulli alteri ideo voluiſſē
ꝙ te ſicuti nos audiuiſſent et ceſſaret ſuſpicio indubie.

Cato.

Domine oliueri rogo nolite eſtimare dn̄m hugonem ꝓpter iuriū
hmōi allegationē ↄcludere velle ꝓ ciuitate quinymo hec ꝓpt̄a ip
ſius allegatio iuriū ꝓ nobis facienciū vehementē mihi preſūptionē
inducit ↄcluſionis ↄtrarie noui iuriſtarū ſubtilitatē. Hec ad aurem
vobis dico ne nimiū propter hec per eum allegata de eo ↄfidatis.

Oliuerius.

Si hec hugo dicit in iure ſcripta quid ābiguitatis eſt vt non liceat ciuitati iura exequi ymo minus a clero exigere ꝙ de iure poſſet.

Cato.

Audietis dominū hugonem contrariū concludentem velit deus non ſim propheta.

Hugo.

Cur me clam inter vos tot verba miſcetis. male cauſe ſignum eſt. gaudeo ꝙ vnus veſtrum legiſta eſt ſaltem baccalarius et ꝑ conſequens in parte canoniſta.

Cato.

Quod predixi domine oliueri intelligitis ꝙ dn̄s hugo incipit aliter loqui ꝙ prius incipit de mala cauſa noſtra verbum facere.

Oliuerius.

Rogo hugo vis tu aliquid contra tot iura ⁊ doctores ſicuti a ſocio meo per te allegata intellexi in contrariū dicere.

Hugo.

Volo.

Oliuerius.

Cur igitur recitaſti contra te iura ſcripta. hoc non eſt boni docti nec ſapientis viri ſignum.

Hugo.

Erras oliueri nam ſine ſolucione iurium que pro parte ciuitatis tui doctores allegāt ſemper in errore maneres et verū eorum intellectū non caperes. pacienter igitur audi me verum dicentem ſicuti me auſcultaſti cum pro tua opinione falſum et in iure erroneū concluſi.

Cato.

Auditis domine oliueri verum eſſe quod ſuſpicabar.

Oliuerius.

Dic hugo quid vis. auſcultabo. te audire ꝓpoſui etiā ſi per horā fueris locut⁹ ſed plus placeret vt cras reuertam iam enī aduesperaſcit

Hugo.

Vti libet oliueri inter fabulandum veſpere cantate ſunt nec horas legi canonicas veſpertinas. Mos gerendus eſt racionabilibus precãtibus in puncto octaue hore cras me videbis / niſi vel tibi citius vel fortune ſerius placuerit.

Oliuerius.

Hugo vale et cras vti dixiſti redi. et ita ſtude in vnam partem ſi ꝗtuti in alteram.

Hugo.

Valete ambo duo et vti iuſſiſti oliueri et ſtudui et ſtudebo.

Oliuerius.

Vides cato ꝙ bene locutus eſt dominus hugo iuxta cedulam noſtrã eſtimo certe ꝙ contrarium illius numꝗ̃ affirmabit.

Cato.

Nõ intellexiſtis q̄ dixi ymo ꝯtrariũ affirmabit indubie ego etiam iuribꝰ ſtudui res nõ eſt clara vt in cedula nrã ꝯtinetur.

Oliuerius.

Cur ergo cõſulatus hãc rem cõſulit.

Cato.

Vos ſcitis nõ ē hec res de pleno ꝯſilio nec ꝯſultis iuriſperitis ꝯcluſa vos oẽs clamatis in fauorẽ ciuitatis et iuxta natuãles viãs raciones et veſtrũ videre ſingula ꝯcluditis q̄ non militãt ſemꝑ in iure ꝑſerti circa facta clericorũ. Poſt factũ ꝯſilia q̄ritis nullus libens vos et cõſulatum redarguit.

Oliuerius.

Quã timeo rẽ hanc habere malũ exitũ. Ex modico lucro maximã patiemur infamiã et cenſuras papales. cur noſtri doctores nõ ſcribunt veritatẽ ſicuti eſt.

Cato.

Poſt factũ cõſulti ſũt ſicuti dixi et placere ſtudent. Nam obſequiũ

amicós veritas odiũ parit· et qui conſulti ſunt non ſemper veritatẽ conſulunt·ſed vti partes affectant et pro talibus reputati ſunt·

Oliuerius·

Durus ſermo· noctem deducam in ſomnenꝫ·ita vacillare incipio et cupio audire dominũ hugonem etiam ſi contra nos concluſerit nullũ animal eque vt homo mihi videtur a ſeipſo differt·nam alter nulliꝰ alter infiniti precij eſt·hic hugo vti apparet litteras vidit·

Cato·

Ymmo et practicauit atqꝫ ad omnem induſtriã iuridicam multo tempore ſe aptauit·

Oliuerius·

Ita apparet ſed vale cato et tuipſe etiã cogita ⁊ in tempe te pſenta

Cato·

Meum cogitare nihil eſt vbi noſtri doctores comparere formidãt· ſed cõparebo vti iuſſiſtis et bonam et quietã noctem vobis opto·

Oliuerius·

Hup tam mane aduentas hugo qui ad legendum horas canonicas obligaris vix electo ſurrexi et hunc catonem ad me intromiſi vix octaua eſt hora·

Hugo·

Jam matutinas cum alijs cantando·reliquas vero horas canonicas legendo ad veſperas vſqꝫ compleui et miſſarum officium celebraui vt tuus ſim totus hodie ad quecũqꝫ popoſceris·

Oliuerius·

Incipe hugo dicere que heri dicere obtuleras·affecto em̃ te audire aliquid boni apportantem·

Hugo·

Contra per me recitata et in tua cedula conſcripta dico ſic argũmentando · Regula iuris ciuilis eſt ꝙ eccleſie non tenentur ad aliqua onera ſordida neqꝫ extraordinaria vt·C·de ſacro·eccle·l·placet ⁊·l· neminem et·C·de epiſ·et cle·l·ij·niſi duntaxat ad pontium et viarũ reſtauratiõꝫ vt ẽ caſus ĩ dicta·l·ad inſtructiõꝫ·C·de ſacro·eccle·

et vtriuſq; ſimul de regula et fallencia p̄dictis nobiliſſimo iure auctē
ticorum ſtatuitur in § ad hec de eccle. ti. ergo eccleſia non tenebit
ad onus reſtaurandorum murorum ſeu eos fortificandum cum id ſit
opus ſordidum. l. maximarum. § fi. C. de excu. mu. li. x. Aut ſaltē
extraordinarium eo ꝙ non videtur perpetuum et vniforme quale
eſt ordinarium munus vt declarat bal. in dicta. l. placet. per tex. ibi
et. l. ſepo. § medico. ff. de au. lega. idem bal. in dicto titulo de pace
conſtan. et pleniſſime calde. conſi. ſuo ſecundo in titulo. de cenſi. facit
quod notat bar. in. l. ij. ff. de pro emu. facit ad predicta quia
exceptio circa onera reficiendorum pontium et viarum vt ad ea te-
neatur eccleſia facta in. l. ad inſtructionem a regula legis placet
cum ſi. confirmat ipſam precedentem regulam in non exceptuatis
et ſic in caſu noſtro de onere reficiendorum murorum et in fodiend̄
foſſatis nouis vt in. c. dominus xxxij. q. vij. Ex quibus videtur re-
ſponderi ad bar. motiuum in dicta. l. ad inſtructionem quatinus
intelligere videtur ꝙ licet ad perſonalia onera reficiendorū murorū
non teneantur clerici quia illud eſt munus ſordidum a quo clerici ſūt
exempti tamen ad pecuneas pro laborantibus in ea refectione vel
inſtauratiōe iuxta redditum poſſeſſionum ſuarum conferre hoc nō
eſt ſordidum munus. Nam cum reuerencia ſicut ipſe labor perſo-
nalis preſtandus in opere refectionis eſt ſordidum munus vt dcā
lege maximā rerum. § finali. Ita et pecunia eo caſu dicetur munus
ſordidum qui ſurrogata loco laborum vt in. l. ſepo. in principio. ff.
de annu. le. et ibi per bar. et per io. an. in mercu. ſuper regula generi
et lapus alle. xcix. et hoc eſt qd̄ declarat tex. in dicto. § ad hec dū
dicit poſſeſſiones eccleſiarū non teneri ad ſordidas functiones. Pre-
terea detur ſine preiudicio ꝙ onus ſoluendarum pecuniarū in ope-
refectionis non ſit ſordidum. tamen non videtur poſſe negari quin
ſit extraordinarium. Cum omne onus extraordinarium ſit quod
non eſt perpetuum et vniforme vt declarat bal. in dicta. l. placet
et cal. in conſi. ti. de cenſi. conſi. ij. facit quod ponit bar. ff. de iuris
immu. l. ij. ſed ab extraordinario onere eccleſia excuſatur ſine du-
bio vt in dicta. l. placet et dicto. § ad hec. Per predicta etiam vi-
detur dari reſponſio ad racionem aliorum doctorum dum ab p̄dep-
titate racionis vtilitatis publice arguunt propter quam ſtatuitur ī
lege ad inſtructionem et. § ad hec teneri eccleſiam ad onera refici-
endorum pontium et viarum etiam teneri ad reficiendum muros
quādo propter vtilitatem publicam guerre imminentis vel ſuſpicōis

guerre reſicientur. Nam tam id veniat ad correctionem iuris cō
munis regulariter ſtatuentis non teneri eccleſias ad ſordida et ex
traordinaria vt in dicta .l. placet et in .l. ij. §. ad hec Nec reperiat
hoc ius immutatū niſi in caſibus pontium et viarum vt in dicta .l.
ad inſtructionem et dicto .§. ad hec Ergo dicta immutacio et cor
rectio ad caſum hunc de reficiendis aut confortandis muris etiā ſi
ſimilem habeat racionem non trahetur per .l. precipim⁹ in fi. C. de
appel. et C. de teſta. l. ſanximus et in aucto. de adminiſtra. offi. §.
ſi. coll. iij. et qd̄ nō. glo. et doc. in aucto. quas actiones. C. de ſacro.
eccle. et per ange. in. l. gallus in prin. ff. de libe. et poſſ. per glo. ibi in
verbo filius hoc procedere dixit etiam ſi de correctione legis iniquiſ
ſime ageretur. Preterea non obſtant .l. ad portus et .l. omnes et .l.
ſi. in prin. allegate que dicunt ab onere reficiendorum murorū nullū
excipi quia intelliguntur niſi eccleſie que ab onere hoc i alijs legib⁹
ſunt excepte vt in dicta .l. placet .l. ij. §. ad hec et .l. ad inſtructiō
facit ad hoc ff. q̄ vi aut clam .l. j. per glo. et bar. et C. de adul. l. ita
pudor per glo. et Cy. et .l. non erit in. §. dato vbi eſt glo. fin. ff. de
Iuē iurādo. et pro hac parte eſt glo. expreſſa in dicta .l. ad inſtru
ctionē et alia glo. in .l. ſi. C. de qui. mu. li. x. et C. de ſacro. eccle. l. ne
minem et in dicta .l. ad inſtructionē Quare concludo eccleſias libe
ras ab huiuſmodi oneribus ſordidis et extraordinarijs

### Oliuerius.

Satis longus fuiſti hugo et vt mihi viſum eſt res non eſt tam cla
ra pro te ſicuti iactitaſti In re enim clara non fuiſſet opus tot verbis
et iſtud non eſt docere nec veritatem dicere ſed argumentari

### Cato.

Ita viſum eſt mihi domine hugo Nam auctoritas bar. et aliorū in
cedula deſcriptorum maior eſt q̄ tue argumentationes et perſuaſi
ones ita fundate

### Hugo.

Igitur in principio dixi argumentando et de mero iure ciuili locut⁹

ſum nec aliquid iuris canonici allegaui vt rem vobis dubiam effi
cerem claram etiam mero iure ciuili. Et quia tu oliueri pacem cum
ſcuto petiſti et ego ramum gladio inſerui.

Oliuerius

Sufficit mihi hugo quod de iure ciuili clerus tenetur ad reparationem
et fortificationem murorum ad quod onus clerus minime compulſus
eſt ſed aliunde minimum grauamen loco illius clero impoſitum

Cato.

Sic et mihi videtur neceſſitate maxima conſiderata.

Hugo

Hucuſque argumentando locutus ſum et licet ſecunda pars quam ſuſ
ſtinui de mero iure ciuili ſit ſatis probabilis tamen quia eſt magna
auctoritas tenentium partem contrariam nec in terminis noſtris ne
ceſſitor inter dictas contrarietates eligere aliquam partem propter
iura canonica in hac materia ſubeundorum onerum per eccleſias lo
quentia quibus eſt ſtandum in materia eccleſiaſtica. Item quia ciuitas
thenen eſt de temporali domino eccleſie thenen vt in .c. i .et .ij. de noui
ope. nun. et ibi per inno. et doc. et nota in. c .ij. de arbi. li. vi.

Cato.

Quantum ſuſpicabar de iſto iure canonico quod illius determinationem
in fine reſeruaret.

Oliuerius

Dic hugo quid vis ſum hic tecum ad audiendum meram veritatem
et quid licitum ſit ciuitati et conſulibus de iure canonico et diuino. Non
enim dubito quin ciuitas clare informata non faciet vim clero.

Hugo

Letor et ex leticia vix lacrimas contineo quicquid hucuſque clerus
clamauit nullus veritatem audire voluit de iure canonico certum eſt

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

et indubitatum q̃ nulla mũdi onera quantumcũq; neceſſitas vrget
et quantumcũq; vtilia laycis eccleſie contribuunt niſi ↄcurrentib9
tribus. Primum q̃ certum ſit ad illa laycorum facultates non ſuffi
cere. Secundum q̃ clericos contribuere conſulat romanus pontifex.
Et tercium q̃ epiſcopi vel clerus ipſemet ſibiipſis onera imponant
vt de iſtis eſt caſus in iuribus in prĩcipio conſabu. noſtre allega. c.
non minus et. c. aduerſus de immũ. eccle. et per doctores ibidem.
Aleas autem nequaq̃ in collatione onerum conferunt clerici vt ibi
et. c. j. et. c. clerici. e. ti. li. vi. iuncta cle. j. e. ti. Et propterea concluſit
glo. iuriſcanonici in. c. nouatum xvi. q. j. et lau. in. c. placet. e. cau. et
queſ. q̃ de iure canonico non tenentur clerici contribuere etiam in re
fectione pontium et viarum quod intelligendum niſi dicta tria cõ
currant. Sicq; intelligi oportet glo. dicti. c. non minus quatinus
dixit teneri eccleſias ad refectionem pontium et viarum vt intelli
gatur dictis tribus ↄcurrentibus et non aleas. Nec tamẽ obſtat
lex ad inſtructionem et. C. ad hec Quia cum dicta ſtatuta laycal.
imperatorie poteſtatis ſuper eccleſijs et clericis edita per eccleſiam
approbata non ſunt in eccleſiarum et clericorum preiudicium non
ſunt ſeruanda vt in. c. eccleſia ſancte marie de conſtitu. et in. c.
bene quidem xcvi. di. Et per hec etiam reſpõdetur ad. l. ad portas
et. l. omnes cum ſimilibus allega. in principio quatinus ſtatuunt q̃
nullus excipitur ab onere reficiendorũ murorum quia intelligitur
nullus ſtatuẽti ſubiectus quia nõ poteſt intelligi eccleſia ſtatuẽti nõ
ſubiecta p iura alle. Nec etiam obſtat. c. peruenit de immu. eccle. qd
loquitur in caſu ſpeciali quo timetur ciuitas ꝛ que ſit iuris ↄtẽpalis
eccleſie preſertim eccleſie romane occupari ab infidelibus. Nec eſt
ſpacium aliter ꝓuidendi periculo tũc tenenẽ clerici auctoritate illi9
canonis ſicuti layci ad cuſtodiam perſonalem murorũ Aleas aũt cõ
vt in dictis. c. non minus et. c. aduerſus Sic declarant Jnmo. et
hoſ. ꝛ dominus antho. in dicto. c. peruenit prima oppo. Et ita tandẽ
in termĩs decidit q̃ in refectione viarũ pontiũ et murorũ ciuitatis non
teneanẽ eccleſia ꝛ clerici niſi dicta tria ↄcurrãt Jo. An. ſic ↄcludẽdo
et cal. referẽs Jo. an. in dicto ſuo cõſi. j. in ordin. e. ti. de cẽſi. et dñs
anthonius in dicto. c. aduerſus de imu. eccle. et fuit etiam prius
concluſio hoſ. in ſũma. e. ti. §. iij. Cum ergo vos ſpoliaſtis clerum
propria temeritate antiquiſſimis priuilegijs inconſulto romano põ
tifice clarum eſt ciuitatem omnes illas penas iuris et conſtitucionũ
apoſtolicarum et imperialium incidiſſe et vt tales

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

veniunt declarandi maxime propter noua vectigalia propria temeritate impoſita clero.

Oliuerius.

Jam directe ſocio meo referente contra contenta in cedula cõcludis de quo mirari non ſufficio vix credere tibi poſſum hanc determinationẽ ita clare in iure ſcriptã ex quo doctores noſtri aliter ſuaſerũt

Hugo.

Facis oliueri cõtra mihi promiſſa et datis palmis ſtipulata de fide mihi adhibenda Et ſi priorum meminiſſes tue admirationi et incredulitati ſcires fuiſſe reſponſum. Sed dum amorem contradicendi ſequeris a queſtionum lineis excidiſti more quorundam loquaciũ potius ꝙ facundorum qui cum diſputare neſciant tamẽ litigare nõ deſinunt.

Oliuerius.

Scio quid vis dicere ꝙ noſtri doctores quos cõſuluim⁹ poſt factũ conſulti ſunt vel nobis diſplicere non poſſunt ymo potius non volũt ſed in officijs remanere et cõmoda a nobis recipere preeligunt.

Hugo.

Aliqui boni aliqui mali reperiunt᷑ ꝛ petatis conſilia ab illis qui nõ ſunt duplicis animi qui bonam habent famam. non qui ſola munera attendunt et vacillant et modica turbatione aduentante alterant.

Oliuerius.

Si deus eſſem iſtos cognoſcerem qui eſt ſcrutator cordium et papa dicit ſocio meo catone referente. Et ſi vicem dei geramus in terris de occultis tamen diuinare non poſſumus.

Hugo.

Si tuum eſt impoſſibile ꝛ tunc eorum conſilijs non indigeres iacobus apoſtolus in canonica ſua epl'a te docet qui ait Vir duplex animo incõſtans eſt in omnibus factis ſuis Et dominus in euãgelio Ex fructibus eorum cognoſcetis eos.

### Oliuerdus

Satis te intelligo ſed vnum ſcrupulum in corde meo adhuc teneo.
Nec ſatis intelligo qualiter poſſit eſſe tanta diuerſitas et cõtrarietas
in iure vt ſuper eiſdem textibus planis tam contraria concludantur
per doctores Melius videretur ſtudere et conſulere ex nudis texti
bus ꝙ ita ſe inuoluere in doctorum opinionibus et lecturas omnes
comburere.

### Hugo

Crede mihi oliueri non fuiſti primus qui hanc fantaſiam ne dicam
fatuitatem protuliſti. Poſt omniũ doctorum lecturas per ſubtiliſſi
ma ingenia pro intellectu et cõcordancijs iurium in libris ↄſcriptas
doctores noſtri temporis vix aliquid de textibus intelligunt quid
intelligerent vel in ſcolis legerent ſi lecture non eſſent Succeſſiue
inuente ſunt artes et ex opinionibus et diſputationibus elicitur ve
ritas. Dubia que in iure inter doctores ſunt ex eiſdem textibus ori
unt̃ ſicuti in theologia ex ſacris lr̃is diuerſorũ doctorum opiniones
ſb'orte ſũt. neqꝫ ei ſcriptum vnꝗ̃ vlla ſic apta claraqꝫ fuit vt diuer
ſos flecti ſẽſus neq̃ret Traxerũt qꝫ ſacris ex codicib9 ortũ oĩa que
ab inicio ſurgentis eccleſie vſqꝫ nunc fuerunt ſciſmata Sed nouit
hoc futurum deus idcirco cum per famulũ ſuum moyſen iſrahelitico
populo legem dediſſet et quid ſectandum quidve fugiendum eſſet
manifeſta ſerie perſcripſiſſet ſciens tamen futuros eſſe qui legi ſue
diſſonos ſenſus accõmodarent conſulturus futuro ſeculo ⁊ obicem
poſiturus hereſibus et falſis opinionibus ſummum tribunal ĩ terra
conſtituit ad quod maiores cauſe et omnes afferri dubitaciones de
lege deberent Ait enim in deuteronomio dominus Si difficile et am
biguum apud te iudicium eſſe proſpexeris inter ſanguinem et ſan
guinem cauſam et cauſam lepram et lepram et iudicium inter por
tas videris verba narrare ſurge et aſcende ad locum quem elegerit
dominus deus tuus venieſqꝫ ad ſacerdotes leuitici generis et ad iu
dicem qui fuerit illo tẽpe ⁊ queres ab ei qui iudicabunt tibi iudicij
veritatẽ ⁊ facies quecũqꝫ dixerĩt qui preſunt loco quẽ elegerit dñs
⁊ docuerĩt te iux̃ legẽ ei9 ſequeriſqꝫ ſnĩaꝫ eoꝝ nec declinab' ad dextrã l'

ad ſiniſtram · Qui autem ſuperbuerit nolens obedire ſacerdotis im
perio qui eo tempore miniſtrat domino deo tuo et decreto iudicis mo
rietur homo ille et auferes malum de iſrahel · Sicut veteris teſta
menti ſequacibus dominus imperauit ne quis ſeductꝰ opinione ſcin
dere populum peregrinasqꝫ opiniones introducere poſſet Nam qui
ambulant in errore cordis ſui veniēt ſuper eos mala · Sic met xp̄s
dominus noue legis conditor veritatis magiſter et ſalutis inuentor
ſummi refugium tribunalis erexit Elegit enim petrum et in petro
ceteros romane ſedis antiſtites qui poſt eius in celum aſcenſionem
vicariatum tenerent et in eccleſia primū locum · Cum claues regni
celorum illi promiſit dicēs · Paſce oues meas · Cur hec quid opus
erat petrum fieri paſtorem · claues regni tenere · principatum accia
pere · xpriſti vicariatū gerere niſi vt errantes reduceret · ignaros
inſtrueret · timidos roboraret · pertinaces eluminaret · fidelibus ſub
ueniret · hereticis repugnaret · Si iuſti eſſemus ac noſtro ingenio
verum videremus et ſequeremur omnes neqꝫ lege neqꝫ principe
opus eſſet Sed quia ſurgunt ingenia pernicioſa que doctrinas pe
ſtiferas ſeminant funduntqꝫ venena letalia et occidūt credulas ani
mas neceſſaria fuit ſummi tribunalis erectio quod inter lepram et
lepram iudicaret ⁊ opiniones doctorum veras approbaret ⁊ falſas
reprobaret hoc autem eſt apud apoſtolicam ſedem que cardo et ca
put a domino et non ab alio eſt conſtituta fidelium · Et ſicut cardine
oſtium regitur ſic huius ſacre · ſedis auctoritate oēs eccleſie diſpo
nente domino reguntur · Atqꝫ vt calixti pape ſanctiſſimi verbis
vtamur nulli dubium eſt ꝙ apoſtolica ſedes mater ſit omnium eccle
ſiarum a cuius nos regulis nullatenus conuenit deuiare Vos igit
thenēſ ciues ſi vos aliqua iuris dubitacio tenet angitqꝫ conſulite
romanam eccleſiam ſeu legatum apoſtolicum digniſſimum hic pre
ſentem Audite vicarium xpriſti aut eius vicem gerentem Facite
quecūqꝫ dixerint vobis qui preſunt loco quem dominus elegit · Di
cite cum yſaya Venite aſcendamus ad montē domini et ad domū
dei iacob et docebit nos vias et ambulabimus in ſemitis eius Quis
eſt mons domini niſi apoſtolica ſedes · Que domus dei eſt niſi eccle
ſia · Quis locus electus a domino niſi roma quam beatorum petri
et pauli martirium conſecrauit Fugiebat petrus ex vrbe mortem
timens ſed cum offendiſſet in via dominum dixit ad eum domine
quo vadis et dominus ſibi Vado romam iterum crucifigi Sic re
uerſus petrꝰ ibi cathedrā ſūmi pōtificis erexit vbi crucis patibulū

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ſubijt · huc ergo recurrendum eſt hinc vera doctrina ſumenda eſt hinc veritatis hauriendi latices hic fons aque viue ſignatus ſcaturit hic ortus concluſus hic archa domini extra quam non eſt ſalus Non pudeat vos theneñ que de cleri exactione et ſpolio perpetrato iuxta doctorum veſtrorum opinionem erroneam ſentitis apoſtolice ſedi et eius legato referre et eius conſilium petere · nam diuus iheronimus doctrina plenus et omnem ſcienciam callens cum fidei ſepta dictaſſet ad dāmaſum papam ſcripſit · Hec eſt inquit fides papa beatiſſime quam didici in eccleſia quamqʒ ſemper tenui in qua ſi minus perite aut parum caute forte aliquid poſitum eſt emendari a te volo qui fidem petri tenes et meritum · Sic et vos facere theneñ et te oliuerium vt metheñ ad hoc faciendum inducas exhortor · Oſtēdite vos et que feciſtis et opiniones veſtras romano pōtifici ſeu eiꝰ legato · facite que iuſſerit neqʒ ad dexteram neqʒ ad ſiniſtram declinantes · ſic euitabitis maximas penas in vos inflictas ſic conſolacōeꝫ ſpiritus ſic anime veſtre quietem accipietis et ſalutem ·

Oliuerius

Miror te qui iuri pontificio operam dediſti ex theologia te defendē et cauſam tuam fortificare ·

Hugo.

Jus canonicum participiū eſt capit enim partem a theologia ⁊ partem ex legibus Attamē que iam locutus ſum maximi pōtificis v̄ba ſunt mihi ad propoſitum deſeruientia · ſed nihil reſpondes ad intellectum eorundem ·

Oliuerius

Quid dicam vt mihi videtur concludis neceſſario conſulendum ſummum pontificem aut eius legatum cuius iudicium nobis ſuſpectum eſt imperatoris preeligeremus determinacionem ·

Hugo

Tergiuerſaris et tn̄ laq̄is veritatis inuerteris in ꝑſonā tuā iā loq̄r

cui ſuſpectū eſſe poteſt illud iudicium quod dn̄s ſtatuit. Super cleꝝ dn̄s imperator nullam habet facultatē neq; iudicium. Dicit em̄ canon nec imperator ſibi iura pontificis arripiat nec pontifex nomen imperij vſurpat vt xpriſtiani imperatores ꝓ eterna vita pontificibꝫ indigerent et pōtifices ꝓ curſu temporaliū tantūmodo rerū imperialibꝫ legibus vterentur. Et iterū Si imperator catholicus eſt ſalua pace ipſius dicimus filius eſt non preſul eccleſie. habꝫ priuilegia poteſtatis ſue q̄ ad miniſtrandū legibus publicis diuinitus conſecutꝰ eſt et eius beneficijs non ingratus con̄ diſpoſiciōnē celeſtis ordinis nihil vſurpet. Ad ſacerdotes em̄ deus voluit que eccleſie diſponēda ſunt pertinere non ad ſeculi poteſtates quas ſacerdotibus voluit eſſe ſubiectas. Et ne dicas maledictus canon qui cantet contra clericos In capitularibus Karoli magni et ludouici imperatoris canoniſatis ſic inuenitur quia iuxta ſanctorū prm̄ tradicionū nouimus res eccleſie vota fidelium eſſe precia peccatorū et patrimonia pauperum. cuiq; non ſolum habita conſeruare verūetiā deo opitulante conferre optamus vt autē de diuidendis rebus eccleſie ſuſpitionem dudum conceptam penitus āmoueamus. Statuimus vt neq; noſtris neq; filiorum et deo diſpenſante ſucceſſorum noſtrorum temporibus vllam penitus diuiſionem ſeu iacturam paciantur quod maxima auctoritate ſimachus papa approbat ſinodo generali acclamante. Nec refugit clerus quin sereniſſimus dominus imperator xpriſtianiſſimꝰ et eccleſie obſequentiſſimus vnacū reuerendiſſimo domino legato hanc differenciā examinēt ⁊ fiat determinatio vtraq; ptāte ꝯiūcta

Cato.

Oliuere capti ſumus nollē q̄ res noſtra in lucem prodiret nullo iure defendere poſſumus que perpetrata ſunt queramus euaſionem per dilacionem dicamus nobis nil commiſſum.

Hugo.

Quid ſuſurratis inuicem cur non reſpondes oliuere.

Oliuerius.

Quid reſpondebo volo libens que audiui referre in conſulatu et q̄

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

concluſa fuerint renunciare.

Hugo.

Referre vis poſt longum annum platonis hoc eſt negligere quemadmodum hucuſqꝫ factum eſt et interim ſemper clerum ſpoliatū tenere et in cenſuris inſordeſcere interim flebo Nam nihil miſeris dulcius eſt gemitu. Video enī veriſſima ſigna induracionis ciuitatis et plage ſubſequentis niſi aliter actā fuerit. ſufficit mihi te audiuiſſe et a me tibi dictum que vera ſunt cum aliud amplius agere non ſit mee poteſtatis. Et cū hijs vale et refer cum placuerit et renuncia cum vis.

Oliuerius.

Non ſis obſecro conſternatus animo ſpero aliquid boni renunciare a breui. et vale hugo amicorum confidentiſſime.

Hugo

Deus vertat bene et ſpem ad bonum effectum deducat et q̄ celeriter legato preſente.

Explicit dyalogus ſuper libertate eccleſiaſtica nouiter cōpoſitus et ſupra Rychenſteyn impreſſus. Anno a natiuitate domini Milleſimoquadringenteſimoſeptuageſimoſeptimo menſis Junij die vero decimaquarta.

Omnia conſilio prius experire q̄ armis

Vt nequit Nimis

LANDES-
UND STADT-
BIBLIOTHEK
DÜSSELDORF

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf







Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf